



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii**

**Zurmöllen, Heinrich**

**Neuhusii, 1677**

Art. 1. De diversitate Morientium

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9734**

TRACTATUS IV.

De Statu Morientium.

TITVLVS VNICVS.

*De Obligationibus Hominis  
Christiani Morientis.*

ARTICVLVS PRIMVS,

*De diuersitate Morientium.*

I.

**M**orientium diuersitas primario desumitur à causis mortem inferentib<sup>9</sup>, quæ duplices sunt: aut enim sunt naturales & interne, & inde dicitur naturalis, aut sunt aternæ, & per violentam læsionem mortem inferunt, & inde dicitur mors violenta.

2. Rursus mors naturalis dupliciter contingit. Aut enim contingit ex pugna & dissolutione temperamentum, causata à qualitibus elementaribus inter se pugnantibus, & temperamentum dissolventibus,

Y 5

unde

unde nascuntur febres & aliæ infirmitates mortem inferentes: aut contingit ex sola consumptione humidi radicalis, quo deficiente, & à calore naturali consumpto, mors eveniat necesse est, & hæc est mors senum, quæ vel citius vel tardius ex parte naturæ advenit, pro ut humidum naturale citius vel tardius consumitur. Mors etiam violenta dupliciter considerari potest: alia est enim simpliciter violenta, ut quæ gladio laqueo, igne sive combustione, aqua sive submersione, vel à bestijs, Dæmonibus inferitur. Alia est tantum violenta secundum quid, ut quæ inferitur à pestifero aere, veneno, cibis corruptis, talis mors etsi mediante infectione humorum fiat, & hoc modo naturalis dici posset, dicitur tamen violenta, quia non causatur ex naturali humorum & qualitatum corporis pugna ordinaria, sed ab extrinseco per violentas impressiones.

3. Præter diversitatem morientium ex causis naturalibus & violentis, attendenda est diversitas penes causam primam, & dispositionem ejus, qui habet claves vitæ & mortis.

mortis. Hinc cur hic moriatur ad huc in ventre matris : alius vix egressus & fugens ubera matris : alius in pueritia : alius in virili ætate, alius in senectute magna : id non solis causis naturalib<sup>9</sup> sed dispositioni Dominatoris vite & mortis adscribendum est : hinc *Job. c. 14. Constituisti terminos ejus qui præteriri non poterunt.* Quare quamvis complexio naturalis, & conservatio corporis, à noxijs & externis causis & eventibus fortuitis, promittat longam vitam, nihilominus terminus vitæ non debet expectari ab illis, sed à dispositione Creatoris. *Job. 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est.*

## Articulus Secundus.

*De obligationibus hominis Morientis.*

I. **H**ominis Christiani morientis tres potissimum obligationes sunt, nimirum ponderatio præsentis vitæ : purgatio accusantis conscientiæ, dispositio imminentiæ vitæ.

2. Ponderatio præsentis vitæ proprie consistit, in serio examine eorum omnium